



**Tractatvs De Præventionē Ivdiciali [!], Sev De
Contentione Ivrisdictionvm**

Tonduti, Pierre François de

Lvgdvni, M.DC.LXXIII.

Capvt XLI. De pœnis à iure introductis contra eos, qui post causam coram
vno Iudice præuentam, aduersarium trahunt ad alias diuersas Curias, vel
Iudices, siue de Iudicibus Delegatis, siue de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98370](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98370)

Iudex illam haberet, præiudicari non potest quin scribat in causa per eum præuenta.

27 Quæcunque autem de citatione diximus, eodem modo procedunt in monitorio, (non loquor de illo Monitorio quod Iudex Ecclesiasticus concedit ad obtinendam depositionem contra testes, aut alios pro rebus occultis, de cuius materia eruditissimum nuper tractatum edidit admodum R. P. Theophilus Raynaud Societatis I. E. S. V. Theologus, Vir multificus & irreprehensibilis vitæ, amicus meus singularis: sed de eo per quod Iudex monet reum, ut aliquid soluat, faciat, vel à faciendo desistat, de quo Mandos. integrum composuit tractatum, & illud citationi æquiuale reſtat in eodem tractatu, *question. 17. num. 4.* † Ideo præuentionem inducit dummodo forma in eo præscripta, seruata fuerit in illius executione. Vnde si in Monitorio detur ordo illud significandi primo personaliter si persona apprehendi possit, secundo per dimissionem copie ipsius in domo solite habitationis, factis prius debitis diligentis de reperiendo personam, executio illius etiam si reproductum fuerit cum relatione Nuncij, seu cursoris, non erit valida, nec ex ea produceretur effectus præuentionis, aut litispendentiæ, si illa forma non fuerit seruata: vt per Farinac. *conf. 89. n. 3.*

29 Gratian. *discept. forens. c. 531. num. 75.* † Quod procedit, quamuis post relationem Nuncij dicentis se citasse domi dimissa copia, addatur clausula, *ut supra*, quæ non alterat expressam nullitatem relationis factæ non seruata Monitorij forma, Seraph. *dec. 972. n. 7.* Quia illa clausula videtur potius referenda ad materias in Monitorio contentas, quam ad formam executionis in eo designatam. Et ex huiusmodi Monitorijs non induci præuentionem nec litispendentiæ, quamuis fuerit facta reproductio ipsorum & executionis illorum, nec litem dici inchoatam nisi forma executionis seruata fuerit, verum est, ex *dicta dec. 972.* † Si vero forma illius seruata sit, non sufficit sola executio; sed ulterius requiritur reproductio in actis, ad hoc vt Iudex de sua iurisdictione certus sit: Grat. *discept. forens. c. 539. n. 1. & 531. n. 75. & 535. n. 15.* Et quod constet de legitimo mandato procuratoris, & quod forma decreti interpositi, nisi in fratre, fuerit obseruata, alias non dicitur lis coepta: Gratian. *dicta discept. 531. numero 76.* Cauter. *dec. 483. num. 4.* Rota apud Pothum de *manuente. dec. 644. n. 10.* De quibus etiam Monitorijs aliquid tractat idem, *obseruat. 78. dicti tractatus de manuente.* † Et quod monitoria vim habeant citationis, & in eam resoluantur propter clausulam iustificatiuam, quæ in ipsis apponi debet, tradit Ias. in *l. nec quidquam. §. ubi decretum. num. 6. ff. de offic. procons.* Fiunt enim semper iuxta formam consuetam per Alternatiuam, nempe quod reus illi obediat, aut compareat ad allegandas causas cur parere non debeat. † Et si ita Monitorium esset conceptum, vt reus citaretur ad comparandum post factam executionem præcepti, non esset validum, neque litis præuentionem cauſaret Ludouil. *dec. 105. num. 8. 4. & 9.* Quia ex tali Monitorio minus legitimo, aut non vt decet executioni demandato, non oritur præuentio: Gratian. *discept. forens. cap. 531. numero 77.*

33 Ex quamuis in materia attentatorum lis sufficienter dicatur introducta quoad actorem per solam petitionem Monitorij nondum executioni demandati, ad hoc vt nihil attentare possit, quia quoad ipsum lis ad hunc effectum pendere dicitur, Duran. *dec. Rota 374. num. 7. 392. num. 3. & Burat. dec. 833. num. 1. & 262. num. 2.*

Sanlegerij de Præuent. Iudic. Pars II.

Tamen quoad præuentionem, requiritur executio Monitorij, vt supra dictum est. Et ratio differentiæ est, quia quoad attentata, inspicitur dumtaxat actus per ipsum actorem factus, qui posteaquam Iudicem adiuit, non potest esse ignarus quod ipse Iudex manum causæ apposerit quando citationem decreuit, quod tamen reus ignorat donec citatio ad eius noticiam deuenerit. Sed dum præuentionis questio ventilatur, agitur de communi interesse tam actoris quam reus, imò & ipsius Iudicis ac Notarij in locis ubi adest officiorum & tabularum multitudo, pro vt in præfenti ciuitate Auenionensi, vnde non sufficit ad præuentionem sola obtentio monitorij; sed præterea requiritur actualis illius executio. † Imò nec actor ligatur vlla litispendentiæ si ante executionem Monitorij declarauerit se ab illius petitione & obtentione recedere: Lancellos. *de artem. parte secunda capite 4. numer. 45. & sequentibus.*

CAPUT XLI.

ARGUMENTVM.

De pœnis à iure introductis contra eos, qui post causam coram vno Iudice præuentam, aduersarium trahunt ad alias diuersas Curias, vel Iudices, siue de Iudicibus Delegatis, siue de Ordinarijs agatur. De pœnâ amissionis causæ aduersus eum qui aduersarium trahit ad veritum examen. Quod dicatur examen veritum. Quid si re integra illum pœniteat, & quando res dicatur integra ad hunc effectum. Cæpto iudicio executio in Curijs Pontificijs vtrum possit relicto hoc iudicio fieri noua executio in Curijs Regijs absque incursu pœnæ. Et quid statuendum sit, si quis elegerit domicilium per contractum in ditione Regia. Vtrum electio domicilij facta per contractum, possit suffragari tertio qui in illo non est nominatus si agat vt creditor contra debitorem sui debitoris. Quæ sit differentia inter actus merè ciuiles, & non merè ciuiles; qualis est electio domicilij. Statutum Auenionis lib. 1. rubr. 20. art. 6. quando locum habeat. Qui pendente iurisdictionum contentione vnum ex duobus Iudicibus adire mavult, vtrum incidat in pœnas contra trahentes ad diuersos Iudices, seu ad veritum examen, aut etiâ ratione turbatæ iurisdictionis introductas.

SUMMARIVM.

1. Qui nouum obinet delegationis causæ rescriptum in præiudicium præuentionis primi Delegati, caret omni commodo rescripti, & processus est nullus, ipseque in expensis condemnandus est.
2. Ampliatur hoc vt procedat, tam in actore quam in reo, nouum delegationis rescriptum impetrantibus.

Ec 2

3 Item

- 3 Item ampliatur, ut condemnandus sit ad damna par-
tis.
- 4 Text. in cap. dispendia, de rescriptis in 6. non cor-
rigitur text. in cap. fin. eod. tit. in Decretalibus sed
ampliatur.
- 5 Trahens aduersarium ad vetitum examen, causam
amittit Laicus trahens Clericum ad Iudicia sacu-
laria iure suo cadit. Ibidem.
- 6 Iudex punitur si eum qui sub alterius iurisdictione
est coram se compariturum citauerit.
- 7 Ad hoc ut quis causa cadat propter pronocationem
sui aduersarij ad vetitum examen, requiritur
perseuerantia saltem usque ad litem contestatio-
nem.
- 8 Qui probabili errore ductus est, excusatur de indebi-
ta sui aduersarij ad vetitum examen pronocatio-
ne.
- 9 Contraueniens præuentioni simpliciter, non cadit à
causa, sed tamen ad expensas & damna condem-
nandus est.
- 10 Fallit si agatur de causa libertatis, tunc enim etiam
pena amissionis ex speciali favore libertatis incur-
ritur.
- 11 Debitor curiis Pontificiis & Regiis in debita forma
si fuerit obligatus, potest creditor contra debitorem
sic obligatum executiones facere coram Iudicibus
Regiis quauis præuentione facta sit per executio-
nem in bonis sub Monarchia Pontificia constitu-
tis, neque hoc casu aliquam penam incurrit, nisi
ad sit contrauentio inhibitionum.
- 12 Duo creditori aduersus debitorem curiis diuersis de-
bitis submissum competunt remedia ad eius ele-
ctionem, nempe vel litterarum requisitoriarum,
vel noua executionis.
- 13 Quando debitor elegit domicilium in aliena Monar-
chia, potest ibi absque incursu pene conueniri.
- 14 Debitor debitoris submissus vel condemnatus potest
executione conueniri.
- 15 Domicilij electio inter aliquos facta, non prodest
tertio.
- 16 Intellige ut procedat in electione domicilij pro liti
prosequutione, scilicet si facta fuerit per contractum
ad faciliorem illius executionem, tunc enim pro-
dest illis qui possunt vti contractu.
- 17 Electio domicilij ad effectum liti, est actus civilis.
- 18 Interruptio prescriptionis qua fit per actus civiles
operatur dumtaxat inter personas, inter quas fa-
cta est.
- 19 Interruptio prescriptionis contra principalem, fide-
iussori non nocet, quando facta est per actus cini-
les.
- 20 Interruptio facta respectu totius summa debita, contra
vnum ex correis nocet alteri. Et qua sit ratio.
- 21 Actus qui non sunt merè civiles, vtpote qui fiunt per
contractum, veluti electio Domicilij contractualis,
prodest omnibus quibus contractus prodest potest:
& num. 22.
- 23 Si quis cessionem iurium obtinuerit, multo fortius po-
test exequi in domicilio per debitorem in contra-
ctu electo.
- 24 In Gallia intimatio facta in domicilio debitoris ad
instamiam cessionarij, valida declaratur.
- 25 Ex Statuto Auenionensi potest notarius obligare bo-
na subditorum extra Monarchiam existentium,
non tamen personas, nisi in casum mutationis do-
micilij.
- 26 Pena introducta aduersus recurrentes ad aliud tri-
bunal in præiudicium præuentionis, cessant si dolus
absit.
- 27 Pendente lite super possessione summarissima, dum

suam quisque tuetur possessionem, non est locus
actioni criminali.

28 Pendente contentionem iurisdictionis omnia debent
conquiescere.

29 Qui non est subditus alicuius Principis, non potest
ab eius Officialibus diuexari, quamuis suum ad-
uersarium in ius vocauerit in curia illius Prin-
cipis vel Monarchie cui subditus est.

30 Rhodanum totum esse sub ditione Regia contendunt
Officiarij Regis Christianissimi.

31 Quae defensiones proponi possint per eum qui de in-
iuria iurisdictione accusatur. Remissum.



IDENTVM nunc est quibus penis
subiciantur illi, qui post præuentam
causam, & litem coram vno Iudice
ceptam aduersarium distrahunt, & fa-
tigant per diuersa tribumalia, aut iuri-
dictionem Iudicis præuentionis turbant, vel etiam
cogunt, seu cogere volunt ad vetitum examen. Pro
cuius rei elucidatione, fit.

Prima conclusio. Quando tractatur de Iudice
delegato, si quis post causam ab ipso præuentam li-
tem moueat coram alio Iudice delegato, nouamque
impetret commissionem, aut alias quoties ad alium
recurrat in casibus, in quibus ad eundem commis-
sarium recurrere deberet, talis sit procedens, caret
omni commodo fuit rescripti, seu huius secundae
commissionis, & non solum processus omnis in
vim illius fabricatus corrumpitur, & nullus est, sed etiam
ille impetrans condemnandus est in expensis. Text.
est expressus, in cap. dispend. 3. de rescriptis in 6. Quod
non solum procedit in actore suum aduersarium sic
fatigantes, sed etiam in reo, qui actorem in præiudi-
cium liti super eadem re coram diuerso Iudice de-
legato conueniens, aut reconuenit, ut dicitur in d. cap.
dispendia 3. versic. Rens quoque. Nec solum in expen-
sis, sed etiam in damnis passis per aduersarium con-
demnari debet is, qui suum aduersarium indebitè
per diuersas commissiones, seu rescripta ad diuer-
sos Iudices delegatos traxerit atque diuexauerit,
ut expresse disponitur per text. in cap. finali. De res-
criptis. in Decret. Qui textus in d. cap. fin. continens
Gregorij IX. legem, & constitutionem, non cor-
rigitur per textum in dist. cap. dispendia, qui postea-
rius emanauit, sed potius explicatur, & ampliatur.
Et ideo incorrecta manet dispositio dicti cap. finali,
volens etiam damnorum condemnationi hoc casu
locum esse.

Secunda Conclusio, respicit Iudicia ordinaria
iurisdictionis, in qua dicendum est, quod quamvis
regulariter trahens suum aduersarium ad vetitum
examen puniatur pena amissionis causae, cap. si dili-
genti 12. & ibi Gloss. in verb. causam perdam. de foro
competent. Gratian. discept. forens. c. 157. n. 27. veluti si
quis siue laicus, siue clericus, ad Iudicium saeculare
Clericum trahere velit, tunc enim dicitur illum tra-
here ad vetitum examen. Et habetur in l. in crimina-
li §. C. de iurisdic. omn. indic. Immo Iudex ipse pu-
nitur, si eum qui alienae iurisdictioni suppositus est
coram se citari mandauerit, quamvis in effectu iur-
isdictionis alterius Iudicis non fuerit impedita. Bald.
in dist. 1. in criminali, in princ. n. 1. & Castren. num. 2.
Surd. de aliment. tit. 9. quest. 26. num. 94. Gratian. dis-
cept. forens. cap. 154. n. 2.

Sed quod de amissione causae dictum est, debet
intelligi ut locum habeat, dummodo sic trahens
aduersarium ad vetitum examen, perseueret vsque
ad sententiam: Causalean. decis. 3. n. 26. & 27. part. 1.
Lanfranc. Balb. decis. 229. & 230. Quamvis alij ve-
lint

line ad incurrendam poenam predictam amissionis
causae, sufficere perseverantiam usque ad litem con-
testationem, quod verius esse censeo ex notatis per
Farinac. de crimin. lese maiest. q. 114. n. 134. Excu-
satur quoque ab hac amissionis causa poenae, si qui iur-
is errore ductus aduersarium indebitum ad alias tra-
hit Curias; qui error in dubio praesumendus est ad
exclusionem illius poenae. Grat. discip. forens. c. 154. n. 5.
Super quo videndus est Farinac. d. quest. 114. n. 115.
& 116. Dummodo talis error fundatus sit in causa
iusta, & probabili, & absit mala fides, alioquin a poe-
na non excusaretur sub praetextu erroris: Farinac.
dicta quest. 114. de crimine lese maiest. n. 116. in fin.
in illis verbis, Nisi appareat de aliqua iusta causa in
contrarium. Potest enim fieri, ut impetratio diuer-
sorum commissariorum, aut citatio pro eadem re
coram diuersis Iudicibus ordinariis in praedictibus
praeventio fiat bona fide, vel ad maiorem caute-
lam iurisque tuitionem, ut per Gloss. in dicto cap. ex
tenore de rescript. quam ibi DD. communiter sequun-
tur, quo casu non solum non est locus poenae amif-
sionis causae, sed nec etiam condemnationis damno-
rum, aut expensarum; Menoch. consil. 230. n. 2. 3.
& 4. Gabriel. consil. 166. num. 2. lib. 2. Honded. conf.
95. num. 1. & seqq. & num. 50. & 51. lib. 2. Farinac. d.
q. 114. de crim. lese maiest. num. 110.

Sed ad hoc ut illi poenae amissionis causae locus
sit, necesse est, ut interueniat citatio ad veritatem exa-
men, si enim simplex addit processura coram alio Iu-
dice prohibito in praedictum praeventio facta,
non est locus illi poenae amissionis causae, ut probat
per textum in d. cap. dispensa, de rescript. in 6. &
d. cap. fin. eod. tit. in Decretalib. Sed dumtaxat hoc casu
ille qui aduersarium coram diuersis Iudicibus fati-
gauit, condemnandus est ad damna, & expensas erga
partem, ut notat Felin. in dicto cap. ex tenore num. 23.
de rescript. dicens hanc veriorum esse sententiam
post Gloss. ibidem, in verbo Caveat, quam dicit com-
muniter approbati Abbas in cap. dilecti. colum. penult.
de rescript. Salycet. Fulgof. & Alexand. in l. nulli. C. de
iudic.

Neque obstat l. 1. §. fin. C. de assertionibus tollend. quia
ibi casus est specialis fauore libertatis; ideo non est
mirum si in illo casu locus sit poenae amissionis cau-
sae; qui casus cum sit specialis non est ad alias causas
extendendus: atque ita textum illum intelligunt
DD. communiter.

Tertia Conclusio. Qui debitorem curiis Ponti-
ficis, & Regiis legitime submissam, & obligatum,
per executionem coram Iudicibus Pontificiis illor-
um auctoritate factam, praeventit, poterit non ob-
stante Iudicium Pontificiorum praeventione coram
Iudicibus Regiis exequi, aduersus bona in Monar-
chia Regia sita, nec propterea aliquam incurret
poenam. Haec conclusio multis à vano timore tran-
slata iurisdictionis liberat, & verissima est (nisi ra-
men adesset inhibito, vel decretum de nihil inno-
uando factum per Officiales summi Pontificis praeventio-
nentes) Et probatur ex traditis per nos supra
p. 1. huius tractatus cap. 18. & 19. & per Cyriac. con-
trouer. 318. num. 4. & sequentibus. ubi defendit eum
qui obtinuerat sententiam in Senatu Mantuano, co-
ram quo eiusdem sententiae executionem petierat:
postmodum autem cum aliqua bona mobilia de-
bitoris condemnati reperisset in ditione Principis
Bozzuli, curauerat bona illa auctoritate Magistra-
tum loci illius in quo reperiebantur sequestrari:
quod ea ratione comprobatur, quia Iudex illius loci
erat competens, cum bona in eius territorio repe-
ta fuissent, & ageretur de executione obligationis

Cameralis, in qua licita est variatio de Iudice ad Iu-
dicem. Subdens tritam esse practicam permittentem
actori, qui fauorabilem reportauit sententiam,
illius executionem petere super bonis alieni terri-
torij per litteras subsidiales, & requisitorias si velit,
aut si malit facere nouum iudicium coram Iudice
loci ubi bona sita sunt, producendo coram ipso sen-
tentiam, & processum primi iudicis: ut per eundem
loco citato, num. 42. & 43.

Ampliatur etiam in executiuis, ut possit procedi
contra debitorem in aliena Monarchia, si in illa
domicilium pro faciliore contractus executione ele-
gerit per contractum. Reus enim potest in loco
domicilij electi conueniri etiam si ibi non reperia-
tur: Cyriac. Nig. dicta controuer. 318. num. 27. Gaill.
libro 2. obseruat. 36. num. 11. Riminal. lun. conf. 353.
num. 53.

Dubitatum tamen aliquando fuit in facti con-
tingentia, utrum sicut creditor ipse executiones in-
timare, & citationes facere potest in domicilio con-
tractuali per debitorem electo, auctoritate illius
Iudicis, qui cessante huiusmodi domicilij electione
fuisset incompetens, ita & creditor creditoris agens
contra debitorem sui debitoris, in eodem domici-
lio electo executiones facere valide queat. Cer-
tum quidem est, aduersus debitorem debitoris con-
demnatum, aut alias executiue obligatum, licitum
esse executiue etiam procedere: Zach. de obligatione
Camer. quest. 5. num. 30. Gratian. discip. forens. cap.
507. num. 1. & sequentibus. Burat. decis. 793. n. 4. &
sequentibus.

Sed dubium in eo consistit, utrum electio domi-
cilij facta per debitorem debitoris suffragetur primo
creditori agenti, & exequenti coram Iudice illius
domicilij inter alios electi, & in fauorem illius qui
in instrumento nominatus non est. Sanè electio-
nem domicilij tertio non prodesse tenuit Imbert. in
suis Institutionibus. Forensibus Gallico sermone. conscri-
ptis lib. 1. cap. 17. num. 34. versicul. Tomesfois. Vbi dicit,
quod si electio domicilij facta fuerit in aliqua ma-
teria, non solum non prodest tertio, sed nec ipsi qui-
dem parti cuius fauore facta est, si inchoetur alia
instantia, veluti in causa appellationis.

Ille tamen doctrina, casui nostro non applica-
tur, tum quia non agit ibi Imbertus de electione
domicilij facta per contractum, & pro faciliore con-
tractus implemento, & executione, sed de alia ele-
ctione domicilij facta in Iudicio, & pro validitate,
aut facilitate Iudicij. Tum quia idem Auctor fate-
tur, quod si in eadem ciuitate, vel loco, tractaretur
tam prima quam secunda instantia, electio domi-
cilij facta in prima causae instantia, suffragaretur
etiam in causa appellationis.

Et ratio est, quia electio domicilij facta in Iudi-
cio, & ad effectum litis, est actus mere civilis. Actus
autem civiles profunt illis tantum inter quos facti
sunt, ut tradunt DD. & maxime Bart. & Castren. in
l. naturaliter, ff. de usucapion. Et praecipue Ioannes
Hannibalius ibidem, num. 27. versic. nec obstat, si dice-
res in 5. volum. Reperit. fol. 344. verso. Vnde vide-
mus, quod interruptio quae fit per actus civiles ad-
uersus usucapionem, veluti per litem contestationem
eum dumtaxat effectum producit quoad illas per-
sonas cum quibus tales actus gesti sunt, l. 1. & ibi
Gloss. Cod. de prescript. longi temp. Serap. decis. 926.
num. 2. Balb. de prescript. 3. part. 6. princ. quest. 4. n. 47.
& ubi propterea concludit interruptionem pres-
criptionis, seu usucapionis factam contra prin-
cipalem, non nocere fideiussori: Gratian. discip.
forens. 310. numero 37. Quia mala fides
E c 3 vnius

vnus, non est mala fides alterius. *Put. lib. 2. dec. 500.*
 20 ¶ Quamvis secus sit in duobus reis: quia vnica est
 vtriusque obligatio ideo interruptio contra vnum,
 operatur quoad omnes correos debendi. Quod verum
 est, si interruptio facta fuerit per petitionem to-
 tius summæ debite. Aliud enim esset si petitio per
 quam sit interruptio facta fuisset dumtaxat de por-
 tione vnum ex correis tangente, vt explicat The-
 saur. *decis. 203.*

21 Sed quando agitur de actu, qui non est merè Ci-
 uilis, qualis est electio domicilij facta pro executio-
 ne contractus in contractu ipso, prout sæpius fieri
 solet, cum contractus sint de iure genitum, nec pro-
 priè descendant à iure Ciuili quoad originem, &
 ideo non sint actus merè ciuiles sicut litis contesta-
 tio, & similes qui à iure Ciuili introducti sunt, *l. de*
re iud. l. i. in fine.

22 *l. i. in fine.* Talis actus non
 solum producit effectum inter ipsos contrahentes
 inter quos factus est; sed etiam in fauorem eorum
 omnium, qui vigore contractus ius agendi habent:
 vt explicat Barbof. *in l. cum notissimis. §. l. m. d. num. 16.*

23 *Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.* Balb. *de præ-*
script. 3. parte 6. partis principalis. quæst. 4. num. 17. ¶ Et
 hoc potissimum locum habet si creditor creditoris,
 cessionem iurium obtinuerit à secundo creditore:
 quia cum hoc casu agat actioe sibi cessa, quæ ead-
 em est cum actioe secundi creditoris cedentis,
 electio domicilij per huius secundi creditoris debi-
 torem facta iuuaret istum cessionarium, vt in illo
 domicilio intimationes, & alia facere posset quæ ce-
 dens ipse facere potuisset, quamuis electio alio mo-
 do quam per contractum facta fuisset, & domici-
 lium etiam per actus iudiciales & merè Ciuiles
 electum: *DD. in l. naturaliter. & præsertim. Imol. n. 4.*
ff. de usucapionibus.

24 Vnde in praxi intimationes ad instantiam cesso-
 narij in domicilio per debitorem electo factæ, vali-
 dæ & legitimæ iudicantur in Gallia: vt testatur Add.
 ad Louet. *littera D. num. 49. pag. mibi 251. colum. 1.*
in princip. Quod potissimum procedit quando nihil
 interest debitoris siue hic siue illic soluat. Gratian.
discept. forens. cap. 507. numero 18. Surd. decis. 44.
numero 8.

25 Aduertendum tamen est ea, quæ superius de va-
 riatione in executiuis dicta sunt, locum habere
 quando agitur de executione facta contra bona, si
 verò agatur de captura personæ: aliter prouisum est
 apud nos ex statuti municipalis dispositione, *lib. 1.*
rub. 20. art. 6. Quo cauetur, posse quidem Notarios
 subditorum bona extra terras Ecclesiæ posita obli-
 gare, sed non personas subditorum Sanctissimi, nisi
 debitores tempore executionis reperiantur habita-
 re in alienâ Monarchiâ.

26 Addendum quoque est pro maiori eorum quæ
 superius dicta sunt, intelligentiâ, pœnas omnes ad-
 uersus eos introducta, qui in præiudicium litis co-
 ram aliquo Iudice præuentæ ad aliud tribunal tra-
 hunt, cessare si dolus absit: *Farinac. conf. 49. num. 4.*
Menoch. fusè. consil. 230. maximè. num. 21. & sequent.
Gabriel. consil. 166. num. 9. & seqq. Et consil. 167.
num. 2. & sequentibus. lib. 2. vbi fusè materiam turba-
tæ iurisdictionis explicat ad excusationem eius, qui
de eâ accusatur. Et hac de causâ his annis elapsis
 ego consulueram pro defensione cuiusdam mulieris
 Nobilis, ad eximendam illam, prout exempta fuit,
 ab iniusta turbata iurisdictionis accusatione. Quia
 cum inter Pontificios & Regios ministros, magna
 esset contentio super iurisdictione loci cuiusdam in
 vtriusque Monarchiæ confinibus constituti, & qui-
 liber locum illum de suo territorio & iurisdictione

esse contenderet, imò se esse in quasi possessione
 ibidem exercendi iurisdictionem assereret, osten-
 dendo actus iurisdictionales in illo loco factos,
 ¶ donec finita esset contentio super possessorio, non
 poterat contra ipsam procedi per viam iudicij cri-
 minalis, siquidem causa illa, quasi possessionis exer-
 cendi in illo loco actus iurisdictionales, tanquam
 præiudicialis, & Ciuilis, prius erat terminanda, *l. 1.*
Cod. de appellat. Crauer. consil. 280. num. 3. versic. Et
quibus fundamentis, Farinac. de var. & diuers. q. 100.
num. 62. ¶ Imò omnia conuiescere debent penden-
te questione illa super iurisdictione. cap. si index la-
icus in fin. & ibi Gloss. in verb. Interim de sentent. ex-
communicat. in 6. Cane. lib. 3. var. resol. cap. 10. num. 59.
de contem. iurisdic.

Quibus additur, quod mulier ista non erat subdi-
 ta summi Pontificis in temporalibus, vnde sub præ-
 textu turbatæ iurisdictionis non poterat accusari
 coram Officiariis, seu Magistratibus eiusdem: Me-
 noch. *dicto consil. 230. n. 80.* Et sanè iustam habebat
 causam credendi se coram Regis iudicibus agere
 potuisse, quia agebatur de alueo intra flumen Rhod-
 ani, ¶ quod quidem flumen Magistratus & Officia-
 les Regis prætendunt ad Regem in solidum specta-
 re, Regiæque iurisdictioni subiacere, adeo vt non ad-
 mittant præuentionem Magistratuum Pontificio-
 rum in iis, quæ ad Rhodanum pertinent, aut in co-
 geruntur. *Guid. Pap. decis. 577. num. 3. & ibi Addam.*
 Quod tamen ad me, decidere non spectat, cum sum
 Vassallus & subditus fidelissimus suæ Sanctitatis. Et
 ex his rationibus mulier ista fuit à lite liberata, nec
 amplius contra illam processum. ¶ Si quis autem
 plura videre desideret, dum se offeret occasio defen-
 dendum reum de turbata iurisdictione accusatum, ad-
 ire poterit Farinac. Hondedeum, & Gabrielium in lo-
 cis superius allegatis.

CAPVT XLII.

ARGVMENTVM.

De actione Saluiani interdicti intertata per
 Generum pro consequutione dotis sibi
 promissæ, & contra tertios bonorum So-
 cери possessores in vno tribunali præuen-
 ta, vtrum ea pendente possit socer in alio
 tribunali per viam actionis proponere
 beneficium competentie, seu deducto
 ne egeat. Et quibus in casibus cesset tale
 beneficium ad fauorem soceri. De bene-
 ficio cessionis bonorum, vtrum idem
 hoc casu iudicandum sit, quod de benefi-
 cio competentie.

SVMMARIVM.

- 1 Pater filia dotem constituens, non potest conueniri
nisi in quantum facere potest.
- 2 Pater mariti, vel pater uxoris habent, beneficium
competentie.
- 3 Socer habet beneficium competentie, tam constante
quam soluto matrimonio.
- 4 Affinitas dissoluitur inter socerum & generum, si
uxor moriatur.
- 5 Iusta subsistens causactiam soluto matrimonio datam
socero beneficium competentie secundum nonnullos.
6 Sed.